

## CÓNCIO VI.

pture fluenta plenissima dicuntur, quia de quibuscumque scrupulis in Scripturis consilium queritur, sine minoratione de omnibus ac plenum invenitur. » Sic ille.

Denique, proponit scelestorum pœnas. Superbi, mementote Luciferi, Nabuchodonosor, Herodis, Jezabel, Pharaonis : avari epulonis, duri Nabal, etc. luxuriosi Amnon, senum illorum Daniel, etc. invidi Cain, Saulis, etc. iracundi Dathan et Abiron, Aman, etc. gulosi epulonis, Holofernis, Balthasar, etc. Hinc sequitur hominem verbo Dei destitutum inerem esse et diabolice prædæ, omnibusque procellis, veluti navem gubernacula carentem, expositum.

V. Sinapi sensus, atque caput sternutamentis purgat, excretiones item faciles facit in cibo sumpto, inquit Plinius, loc. cit. Sic verbum Dei provocat, in homine peccatorum ejectionem per compunctionem, et confessionem; contemptum item et abjectionem rerum mundanarum. Ascendit enim instar sinapis mox in caput seu phantasiam, et ostendit homini periculum, in quo versatur, peccatorum suorum gravitatem, pœnasque illis debitas, item sacerularium rerum, quas amavit, vanitatem, dum demonstrat ei bona longe præstantiora et solida : ex quo incipit homo sternutare seu ejicere malos illos humores et spernere fluxa ac puerilia bona, peccataque per confessionem quasi execrari. Etenim ita natura comparati sumus, ut quamdui meliora non videmus, tamdui viliora sectemur. Sic pueri trochum tantum et pilam amant, quia præclariora exercitia non neverunt, sic plerique opes et honores quaerunt, quia meliora bona nesciunt; sic rusticus nullum potum prefert cerevisie, quia meliorem non gustavit. Atqui verbum Dei præ oculis ponit bona solida et æterna, nulli malo admixta, quæ in celo promittuntur. Inde fideles aspernari incipiunt fluxas, pueriles et inanes voluptates, honores, opes, simulque per pœnitentiam deponere, quos habent, affectus erga illas. Fecit hoc David, quam primum audivit Dei exhortationem et comminationem per Nathan sibi propositam : sternutavit enim illico dicens : Peccavi Domino, II. Reg. XII. Fecit hoc Zacheus, qui Christi verbo auditio mox de vanitatis arbore descendit, et effectum avaritiae depositum, bona injusta restituit, et sua pauperibus communicavit : imo et per confessionem publicam peccata sua expuit, dum ait : Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Sanctus Augustinus cum adhuc heresi Manichæorum et mundo addictus esset, forte audiens et vicino vocem sibi dicentem : Tolle, lege, arreptum s. codicem legit et incidit in locum illum apostoli, ad Rom. XIII.

*Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione; sed induimini Dominum Jesum Christum, etc. mox que a lectio pervasit animum ejus ita, ut firmiter statuerit deinceps hæresi et mundo valedicere, vitamque in melius commutare, quod et fecit, ut testatur ipse, I. VIII. conf. c. XII. Similiter Babylas mimus ingressus quodam die ecclesiam, auditioque evangelio : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum, ita compunctus est, ut rediret domum et duabus concubinis valediceret, monachus futurus. Quo auditio et ipsæ turpitudine abjurata et bonis suis in pauperes erogatis, pudicam deinceps et sanctam duxere vitam, ut quæ cum illo peccassent cum eodem pœniterent, Joan. Moschus, e vir. in prato, c. XXXII.*

VI. Sinapi lethargicos excitat et appetitum provocat, ut scribunt Plinius et Angl. supra cit. Sic verbum Dei ignavos ad virtutem sectandam excitat, ejusque desiderium in illis accedit, dum varias Dei adhortationes, sanctorumque exempla imitanda proponit. Legimus Gen. XXX. Jacob patriarcham cum adhuc paseceret oves socii sui, virgas populeas decorticatas immisisse in canales, unde bibebant oves, ut sic variis coloris intuitu varicolores quoque gignerentur foetus, quod etiam ex voto successit. Sic, ut interpretatur S. Greg. I. XXI. mor. c. I. in sacris litteris et verbo Dei proponuntur variæ sanctorum virtutes et exempla, ut qui ea pensiculante contineantur, similia designent opera; quod etiam magno fructu consequitur. Quis enim non accendatur ad fidem, cum legit vel audit fidem Abrahæ, qui etiam post factam sibi a Deo promissionem de semine suo ex Isaac multiplicando, voluit eudem immolare ad præceptum Dei, credens quod a mortuis eum Deus mox resuscitaturus esset? Quis non ad obedientiam, cum audit Isaacum parenti tam prompte obedisse? Quis non ad castitatem, cum audit Josephum dominæ suæ pertinaci libidini tam strenue restitisse et pallium in manibus ejus reliquisse? Quis non ad mansuetudinem, cum intelligit Davidem persecutori suo Sauli toties pepercisse, tam bona verba dedisse, tot lacrymis parentasse? Quem non moveat patientia Job et Tobie? Fortitudo Judithæ? Constantia septem fratrum Macchabœorum? etc. In novo vero testamento quanti nobis heroes et heroica proponuntur facinora? Quæ qui sedulo contemplatur, quomodo non accenditur ad similia imitanda. Hoc est quod David ait, Psalm. I. Beatus vir, qui in lege Domini meditatur die ac nocte; et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fruc-

## DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

rum suum dabit in tempore suo. Talis enim vitalis suocum honorum exemplorum trahit e flumine verbi Dei et Scripturæ. Et sane ut in viridario inter vernantes arborum florumque surculos, necesse est prætereundem refici, et ambulantem in solo rubore et colore imbuī: ita quoque necesse est animos legentium vel audientium tot sanctorum virtutes in Dei verbo virtutum desiderii sanctisque accendi affectibus.

VII. Sinapi ad dentium dolorem mandatur, ait Plinius, ibid. Sic quoque verbum Dei consolatur in tribulationibus et mitigat dolores, ut testatur Macchabæi, cum in tribulationibus gravissimis constituti ad Spartiatas seriberent, I. Mac. XII. Nos enim, inquit, cum nullo horum indigemus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris, etc. Est igitur verbum Dei, quasi mammilla matris, ad quam parvuli plorantes recurrunt; ibi enim saepissime legitur Deus promittere se omnibus ad futurum, qui in tribulationibus ad ipsum confugerint: quod ipsum innumeris exemplis ostenditur esse factum, cum Abraha, Jacob, Joseph, Moyse, Davide, Job, Tobias, Mardocheo, Daniele, Macchabæis, Petro, Paulo, ceterisque discipulis, qui omnes et longe plures ex pluribus tribulationibus ope Dei erexit et exinde gloriosiores et feliciores effecti sunt. Ut merito dixerit David: Junior fui, etenim senui et non vidi justum derelictum.

Omnia hæc bona perdit, qui verbum Dei audire neglit; nam et lumen fidei, si non prorsus, magna tamen ex parte amittit et anxius vivit, nunquam spiritu Dei inflammatur ad facta heroica, non habet quo resistat vitiis et tentationibus, nec quomodo se ab iis liberet, nec virtutum incitamenta, nec denique consolacionem in afflictionibus et præsertim mortis articulo, etc. Contra quemadmodum turgidæ vesicæ, quamdui retinentur, non patiuntur mergi in aquis hominem; ita qui verbo Dei sedulo attendit et suis actionibus firmiter insistit, perire nequit.

## CÓNCIO VII.

## DOCUMENTA.

I. Fides catholica sola vera. — II. Christianus sit grana sinapis et fermentum. — III. Par utriusque sexus apud Deum conditio. — IV. Concionatores idem saepius inculcare possunt. — V. Scripturæ non omnibus claræ.

## THEMA.

Aperiam in parabolis os meum. Matth. XIII.

Regius propheta, Psalm. LXVIII. sacram Scri-

pturam: vocat mensam: Fiat mensa eorum (Judeorum scilicet incredulorum) coram ipsis in laqueum. Nec male; in s. enim Scriptura veluti in mensa pascentur animæ fideliū veritate divina. Et quemadmodum dives paterfamilias proponit suis hospitibus plures et varias in eadem mensa epulas; ita Christus auditoribus suis alias et alias proposuit parabolas, velut fercula exquisite cocta ad gustum auditorum. Ita S. Hieronymus, in hoc evangelium: « Proponit (inquit) eis et aliam parabolam, quasi dives paterfamilias, invitatos diversis reficiens cibis, ut unusquisque secundum naturam stomachi sua varia alimenta suscipiat. » Nimis istis epulis, quas ipse ab æterno de sinu Patris hauserat, plenus et satur erat; unde eas nobis de plenitudine sua eructavit, quemadmodum ait evangelista. Hanc igitur ad mensam vos invito auditores: fercula illius ad cuiusque stomachum facta sunt, nec de cœli arcana, sed de quotidiano usu et communis hominum conservatione, de agricultura et pictura desumpta. Horum quinque nunc delibemus.

I. Ferculum primum volumus? Discite fidem, doctrinam et Ecclesiam catholicam solam esse veram. Comparatur enim Ecclesia et doctrina evangelica (hanc enim vocat regnum cœlorum hoc loco, non cœlestem beatitudine, quæ nec minima est omnibus rebus. nec in terra seminatur) grano sinapis, quod ex minimo semine crevit in arborem, ad quam volucres cœli veniant, ut in ea habitent. Comparatur et fermento, quod totam pervadit massam, facitque panem sapidum. Hæc autem in catholicam tantum quadrant Ecclesiam, non in Lutheranam, non in Calvinianam aliamve sectam.

Nam primo, sinapi austera habet acrimoniam et vim inflammativam appetitui resistenter, nec odore nec colore nec sapore blandientem. Certe qui sinapis succum paulo largius oringerit, vultum et frontem contrahit atque in lacrymas resolvitur: similiter fermentum colore, odore, sapore ingratum est et amaritatem continet. Hujusmodi autem est doctrina nostra catholica, quæ carni et sensibus non blanditur, sed vita carpit, virtutes inculcat, jejunium aliaque opera carni edomandæ precipit vel suadet, ad pœnitentiam et lacrymas hortatur. Non item doctrina quintevangelica, quæ carni blanditur et fræna laxat, bona opera et studium perfectionis eliminat, ut sole clarus est.

Secundo, sinapi ex minimo semine in arborum ex crescere et fit majus omnibus oleribus. Fermentum item totam massam pervadit et immitat. Ita Ecclesia catholica ex minimis initis in tantam excrevit magnitudinem, ut omnia alia

regna, sectas et respubicas amplitudine superaret; per omnes enim orbis partes extendit ramos suos, et fermento sue doctrinæ pervasit et immutavit totum mundum cognitum, ac si qua ejus pars superest nondum cognita, non desinet serpere hoc fermentum, donec fermentatus sit totus. Non ita synagoga Lutherana et Calviniana, quæ cito quidem invasit, tametsi non pervasit nationes septentrionales, sed ultra septentrionem nequaquam se extendere potuit. Unde in Asia, Africa et America inaudita est; et a majore parte Europæ exulat. Tueri se conantur earum sectatores ea Christi sententia: *Nolite timere pusillus gressus*, sed scire debent Christi gregem initio quidem nascentis Ecclesiæ pusillum fuisse; postea vero crescere debuisse, et vere in immensum crevisse; ut hodierna parabola ostendit. Secta vero adversariorum non modo non crescit amplius, sed potius in dies decrescit. Quod si initio per Germaniam cito radices egit, minime id mirandum. Epicurea enim doctrina Epicureis hominibus facile persuasa fuit, ceteris vi, armis, dolo obtrusa. Simile mihi videtur vi, armis, dolo obtrusa. Simile mihi videtur exordium illorum novatorum exordio Carthaginiensium: siquidem, ut scribit Appianus Alexandrinus, Dido Tyria mulier extincto marito cum virorum comitatu in Africam venit et tantum terræ ab Afriis petit, quantum tauri tergere comprehendi posset; quod cum facile impretrasset, secto in orbem corio, ita ut unam corrugiam tenuissimam et longissimam efficeret, circumedit spatium ejus loci, in quo postea arx Carthaginiensem stetit. Hinc paulatim aucti posteri arcem urbe circumdederunt et finitimas nationes incursarunt tandemque Romanis multa negotia facessiverunt. Simili modo novatores primo ab imperatore petierunt sibi confirmari confessionem Augustanam. Sed hanc obtentam in plurimas divisserunt sectas, quibus maximam Romani imperii partem occuparunt, Ecclesiæque Romanam ejusque adhaerentes acerrime infestarunt. Obtinuerunt ut in imperio ipsi quieti manere possent, postea e suis ditionibus, imo et urbibus imperialibus catholicos expulerunt. Obtinuerunt in libello, Interim dicto, (donec videlicet per Concilium omnia definirentur) conjugium sacerdotum et communionem sub utraque, sed illi mox scamna transilire et celibatum ac communionem sub una reprehendere et erroris arguere. Sic ante eos Bohem. obtinuerunt a Basileensi Concilio s. calicis usum, sed postea abolita omnino missa in varias haereses lapsi sunt, paucissimi ex illis in catholica fide persistenterunt; donec nunc bello subacti et calix eorum e sublimi loco dejectus est ab invictissimo nostro imperatore Ferdinando II.

Tertio, sinapi comedum mire afficit hominem; reddit eum velut igneum, penetrat mox in nares et cerebrum, purgat pituitam et cerebri superfluitates. Similiter fermentum immutat totam farinæ massam, alleviat et quadammodo vivificat, quæ prius gravis et emortua erat, ut sapidus inde panis fiat, qui alioquin azymus et insipidus foret. Ita omnino doctrina catholica mundum ex barbaro fecit humanum, ex mortuo vivum, ex terrestri cœlestem. Innumeros enim fideles igne amoris divini ita inflammavit, ut pro Christo mori appeterent, sæculum ejusque commoditates omnes relinquenter, ad monasteria et eremos current, graviora vita e mundo exterminavit: obedientiam erga magistratus; dilectionem erga proximos animis implantavit; taceo alia fidei bona alias explicata. At vero secta novatorum mundum quotidie deteriorem reddidit, (vel ipso Luthero teste, ut albi videntur) bella et rebelliones ac sediciones excitavit.

Quarto, sinapi, ubi in arboreum crevit, habitaculum et requies (ut habetur in textu Græco) fit voluerum. Ita etiam fideles habitant et quiescent in Ecclesia catholica; quietem enim inveniunt in Ecclesiæ ramis, id est, dogmatibus, quæ norunt sibi proponi a magistra infallibili; in ramis id est, sacris Scripturis, in quibus exponendis et intelligendis certam et infallibilem habent regulam, Ecclesiæ scilicet et ss. pp. sensum et consensum; in ramis, id est, fidei mysteriis, quæ per annum in Ecclesia celebrantur, in quorum recordatione et meditatione consolationem inveniunt, et fructus bonorum operum quasi pullos excludunt. Quinetiam qui ad arborem seu Ecclesiam venire compelluntur, postea gaudent et Deo gratias agunt, ut testatur S. Augustinus, ep. LXXXIV. ad Vincentium de Donatistis, qui ne ad Ecclesiæ redirent unitatem, variis compedibus tenebantur, videlicet offensione amicorum, obdurate consuetudine, negligientia investigandi veritatem, falsis maleficorum rumoribus de doctrina catholica, persuasione animi quasi interest quibuscum in Christum crederetur; postea vero his laqueis expediti, in veritate deprehensa Deo gratias agebant. Non invenitur ista quies et animi solatium in aliorum sectis; quia fundum et fundamentum stabile doctrinæ sue non inveniunt; unde circumferuntur omni vento doctrinæ: deinde regulam stabilem et infallibilem sacras exponendi Scripturas non habent. Denique sacra Christi et fidei mysteria per annum non celebrant, nisi frigidissime et iisdem semper nœnisi. Sed vero multi etiam sunt, qui ubi ad Ecclesiam redierunt, nimis facile trepidant, quasi rursum inde abstrahendi et ad haeresin retrahendi sint, v. g. cum haereticis unam

alteramve civitatem occupant. Hi nimirum in fide nullas adhuc aut exiguae radices egerunt: *Modicæ fidei?* Annon videtis etiam vacillare rāmulos, cum iis aves involant incidentque? Et tamen illi non sic anguntur, nec aves inde terrentur. A multo tempore observatum est, quotiescumque catholici cum novatoribus prælio decertarunt, victores illos fuisse, nunquam vicitos. Id Belgæ sciunt, Helvetii catholici glorianter, acies Caroli V. in bello Smalcaldico mirata est, eo quod hostis Cæsare duplo esset potentior, infeliciter tamen pugnavit et Cæsari supplex fieri coactus est. Tillius denique gloriosus variis præliis hoc per plusquam duodecim annos expertus est; qui nuper in Lipsiensi prælio cladem primo accepit, dum non contra unum, sed contra duos exercitus dimicare debuit. Civitates per vim occupare, arces et pagos vastare, insidiis ac dolo adversarios suos cædere quandoque potuerunt Protestantes, sed non Marte aperto victoriam reportare. Nimirum causa illorum mala est, dum sub nescio quorum prætextu gravaminum haeresim suam propagare, Ecclesiæ bona invadere, ipsamque opprimere machinantur. Quamquam et sanctorum in cœlo opem non habent cum nec postulent; imo rejiciant, et quæ ad illorum honorem fundata sunt, usurpent aut vastent.

II. Ferculum secundum. Vide ut et tu granum sis sinapis, et, quod eodem recidit, fermentum. Ita enim Theophylactus monet, Matth. XIII. « Et tu quoque (inquit), esto granum sinapis, quod parvum quidem videatur. Non enim oportet virtute spectabilem se præbere; fervidum autem et provocativum et austere reprehendentem. Sic enim eris maximus inter olera, id est, perfectus inter infirmos, ita ut volatilia cœli, id est, angeli habitent in te angelicam ducente vitam. » Hæc Theoph. Granum ergo sinapis est, qui minimus est humilitate, magnus vero ardore et charitate ad informandos proximos, cum errant. Sinapis ignea vis eluet primum quando teritur; sic etiam Christianus in tribulationibus potissimum virtutem suam ostendat. Sinapi omnia olera superat incremento; ita Christianus crescere semper studeat in fide et virtutibus, ut tandem fiat arbor virtuti et Deo ita infixæ, ut evelli nullis minis, nullis promissis queat. Ita fiet ut ss. angelii et viri justi ad eum veniant et gaudium ac solatium suum apud ipsum querant, et (ut ait S. Gregorius, præfatione in librum Job, c. II.) *In eorum dictis atque consolationibus a fatigatione vita respirent.* Similiter fermentum fieri potest, qui Christo adhæserit, ut docet S. Ambrosius, hom. III. tom. XII. *Talis enim efficitur et ipse fermentum, tam sibi utilis, quam idoneus universis,* inquit. Imprimis vero tales esse deberent patres et matresfamilias; quia si ipsi Christo adhærent, quiescere non deberent, donec domum suam totam fermentarent et Christo adjungerent, ad virtutem et pietatem compонerent, etc. Tale fermentum in aula sua erat David, qui ait: *Non adhæsit mihi cor pravum, non habitavit in medio domus meæ qui facit superbiam, etc.* Zæchæus, Regulus, Cornelius et alii, qui ubi ipsi a Christo illuminati et inflammati erant, illuminarunt et inflamarunt totam domum suam.

III. Ferculum tertium. Parem esse apud Christum conditionem viri et mulieris, docemur hic a Christo: *Vere sicut dixit apostolus Paulus, I. Cor. XI. neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Ad unum regnum diversum sexum varia similitudo producit, neque virum a muliere separat vocatio christiana,* inquit Chrysostomus, ser. XCIX. Ergo ut intelligamus tam mulieribus, quam viris pari pretio offerri regnum Dei, comparat regnum Dei sexui utrique. Verum quia hoc obtineri nequit nisi per verbum Dei, hoc ipso etiam, quo et viris suam parabolam et mulieribus suam proponit, insinuat audiendum esse utrique. Non dicant ergo viri: Ego mitto ad concionem uxorem meam; non dicant uxores: Ego mitto virum meum, sed ambo veniant et faciant, quæ ad eorum salutem spectant, nisi velint etiam ad cœlum mittere pro se conjugem et ipsi foris stare. Ad hæc quod officium cuiusque sit, non obscure discunt. Prior enim parabola est de viro seminante, posterior de muliere pincente. Vir ergo foris et in agro occupari nemque luerari debet; mulier domi suæ domestica curare et panem fatigato viro pinse, similiaque obsequia exhibere.

IV. Ferculum quartum. Non sunt taxandi concionatores, si idem sæpius et variis modis inculcent, imo et si minus eleganter sua proponant. Audimus enim in hodierno evangelio eamdem omnino doctrinam duabus explicari parabolis. Deinde, grammaticam constructionem non rigide observari a Domino, cum ait: *Quod minimum est omnibus seminibus (quamquam Græca constructio alia est);* sic etiam apostolus, II. Cor. XI. vocat se imperitum sermone, Græco videlicet, in quo nullam quæsivit elegantiam, et quandoque errores grammaticos admisit, ut ibi testatur Cornel. a Lap. Nimirum elegantia verbo Dei necessaria non est, nec admodum conueniens; quia non sui ornatu sed Spiritu s. moveare corda debet, par ratio in concionatoribus. Præclare S. Augustinus, in sentent. CCLXVI. ait: « Bonorum ingeniorum clara est indoles; in verbis

## CONCIO VIII.

dissidentium verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil querimus nisi patere quod clausum est. »

V. Ferculum quintum. Non sunt ita claræ ss. Scripturæ, ut omnibus pateant, et expositione non indigeant, quemadmodum fingunt novatores. Plurima enim Dominus locutus est in parabolis, quas nec ipse exposuit, nec cuivis exponere facile est. Unde etiam ait, eructare se abscondita. Volut ergo Dominus distinguere doctores a discipulis, ut hi ab illis dicernerent ss. litteras, juxta id Job I. *Boves arabant et asinæ juxta eos pascebantur*, hoc est, inquit S. Gregor. I. II. moral. cap. XXV. *Docti prædicant, ac simpliciores instituunt, rudes autem ab illis pasci debent*. Mira est hereticorum insanía, dum jactitant facile et obvium esse cuivis Scripturam intelligere, ut docuit Lutherum imprimis, in I. de libero arbitrio et alibi, et post ipsum Melanchthon et alii plurimi. Nam primo, si Scriptura est tam clara ut fingunt, unde tot in eam commentarii non ss. patrum modo, sed et ipsorum sectariorum? Secundo, cur ipsi inter se tam varie et dissonè exponunt ss. litteras et non potius eodem modo? Tertio, cur toties in ss. litteris Scriptura ejusque sensus dicitur aperiri, si non est clausus et obscurus? Quarto, cur jubemur scrutari Scripturas, si absconditæ non sunt? Denique, quam multa passim occurrunt loca Scripturæ difficillima et obscurissima, ad quæ ipsi hæretici statim obmutescunt, cum jubentur ea exponere? Quare ubi Lutherus rectius sapere cœpit confiteri debuit, illas esse obscuras et proborum indigas interpretum, ut præfat. in Psalmos. Multo apertius in sympos. c. I. fol. II. In Scripturis, ait, *vix scimus A. B. C. et adhuc non recte*: et fol. III. *Dei verbum est inscrutabile*, etc. et biduo ante mortem dixit: *Scripturas sanctas sciat se nemo degustasse satis, nisi centum annis cum prophetis, ut Elia et Elisæo, Joanne Baptista, Christo et apostolis gubernarit Ecclesiam*. Ratio enim manifeste convincit. Nam in primis multæ ibi tractantur materia sublimis, ut de Trinitate, incarnatione, eucharistia, etc. Secundo, multæ prophetiae obscurissime propositæ et quedam nondum impletæ, ut in Apocal. Tertio, multi describunt ritus et consuetudines veterum, modo obsoletæ. Quarto, multi ibi Hebraismi et Graecismi nobis non sunt perspecti. Quinto, multæ ibi figuræ, similitudines et parabolæ tenebris involute.

Quare dum hæretici tam temere et audacter Scripturam s. tractant, omnibusque tractandam

veluti clarissimam proponunt, verissime in illis impletur quod initio sermonis ex Psal. LXVIII. retulimus: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum et in retributiones et in scandalum. Obscurerunt oculi eorum ne videant*. Dum enim proprio judicio Scripturam audent exponere, inde sibi laqueos et scandalum parant, seque novis tenebris involvunt. Nos ergo, auditores, veluti filii Ecclesiæ in circuitu mensæ Domini sedeamus, et quæ a matre nostra nobis apponuntur edamus, ut tandem in mensa cœlesti cum Christo epulemur.

## CONCIO VIII.

## MYSTERIA.

I. Quid granum sinapis? — II. Quid volucres? — III. Quid rami? — IV. Quid parabola de fermento? — V. Cur toties locutus Christus in parabolis? — VI. Cur s. Scriptura tam obscura?

## THEMA.

*Eructabo abscondita a constitutione mundi.*

Matth. XIII.

Hodierni evangelii clausula: *Eructabo abscondita, etc. non obscure docet prædicationem verbi divini ructui esse similem, quando audimus Christum eructasse suas parabolas. Stomachus enim cibis repletus odorem illorum eructat, et Christus divina sapientia plenus ejusdem odore quodammodo eructato afflavit auditores suos. Alii igitur ructus Christi sunt, alii Epicuri et Epicureorum: hi crapulam et ingluviem suam, quam diu noctuque meditantur, eructant; Christus Dei sapientiam mundo absconditam. Nos ergo caveamus ructus Epicuri, attendamus ad ructus Christi.*

I. Quid designat granum sinapis? Resp. primo, ad litteram designat Ecclesiam, seu evangelium Christi. Primo, ad mentem Christi, quia cum sit minimum in seminibus, in tantam tamen excrescit altitudinem, ut fiat quasi arbor, etc. sic Ecclesia et evangelium e tenuissimis initii adeo dilatata sunt, ut orbem totum pervaderent, et paulatim omnes nationes ad hanc arborem velut aves advolarent, evangeliumque susciperent. Minimum fuit in exordio regnum Christi, tum quoad numerum Christianorum, qui paucissimi erant: unde cum Pharisæi interrogarent eum: *Quando venit regnum Dei?* respondit Dominus: *Non venit regnum Dei cum observatione; neque dicent: Ecce hic, aut ecce illuc; ecce enim regnum Dei intra vos est*, Luc. XVII. q. d. non venit, ut vos opinamini, cum splendore et pompa, sed cum tenuissimo exordio

## DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

519

pauperum Christianorum, qui intra vos adeo tam exigu sunt, ut in iis vos regnum meum non videatis, tum propter rerum despicientiam, quam docet, tum propter fidei sublimitatem et difficultatem, tum propter tolerantiam rerum arduarum, ad quam hortatur, tum propter prædictorum ejus humilitatem et simplicitatem, qui stylo simplici, sine verborum phaleris aut eloquentia fidem annuntiarunt.

Secundo, quia cum grano sinapis *igneæ quadam vis inest, et medica, nec aliud magis in nares et cerebrum penetrat*, ut scribit Plinius, l. XX. c. XXII. sic evangelio Christi ignea vis inest ad penetranda et inflammada hominum corda ardore fidei, juxta id apostoli, ad Hebr. IV. *Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio acuto, etc.* Hoc inflammati illi duo discipuli dicebant ad se invicem: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via et aperiret nobis Scripturas?* Luc. ult.

Tertio, quia quo plus teritur, eo magis exserit vim suam, ita Ecclesia Christi virtutem suam prodit maxime in persecutionibus; ut patuit in trecentis primis annis, quibus afflita fuit a tyrannis, quorum crudelitatem infracta sua patientia superavit, confudit, fatigavit, extinxit.

Quarto, quia non in herbam tantum, sed in arborem exsurgit. In calidioribus enim locis longe superat humanam staturam, ut videre erat in Palæstina. Aliæ philosophorum sectæ in herbas excrevere, quæ cito exarescent, quia nihil solidi habent: Christi evangelium in arborem surrexit et orbem totum implevit.

Secundo, designat mystice Christum secundum D. Hilarium, in Matth. quia in exordio suo humilius crucifixus et in sepulcro velut horto (id enim in horto erat) seminatus fuit, inde taxeretur maximam et ascendens in cœlum factus men exsurgens summa cum gloria in arborem est cœli et terræ Dominus, extenditque ramos regni sui per universum orbem; ramos, inquam, apostolos et prædicatores suos, vel ramos imperii aut fidei suæ.

Tertio, designat bonum Christianum, qui minimus est humilitate, magnus vero ardore et charitate, qui cum teritur tribulationibus, inflammat et ardet suavissimumque virtutum odorem spargit, tales apostoli et martyres, tales Benedictus, Franciscus, Ignatius, etc. qui postquam vel tribulationibus attriti fuerunt, vel seipso mortificationibus attriverunt, magni facti sunt, et suam sanctitatem et religionem per totum pene orbem propagarunt.

II. Quid notant volucres cœli? Resp. in primo sensu, significant reges et principes terræ, philosophos item quoscumque, qui ad fidem accesserunt, et requiem suam in Ecclesia invenerunt, veluti S. Justinus martyr, qui primo philosophus cum esset gentilis, veræ philosophiæ, quæ ad Deum ducit cupidus, mirabilis circulo sectas quasi philosophorum illustriores peragravit, et quasi circumvolavit frustra, in christiana demum philosophia tamquam sola solida conquiet, ut testatur ipse initio dialogi contra Tryphonem.

In secundo sensu, significant homines spirituales et pios, quorum conversatio in cœlis est, qui in meditatione vitæ Christi, in frequenti sacramentorum, confessionis maxime et communionis usu, in verbi Dei auditione, etc. quietem et consolationem suam inveniunt.

In tertio, significant ss. angelos, secundum Hieronymum, qui in justis habitant et cum illis conversari gaudent, vel etiam fideles, qui in sanctorum virorum virtutibus, libris, concionibus, miraculis, solatia sua querunt.

III. Quid rami? Resp. in prima expositione, sunt Ecclesiæ particulares per orbem divisæ, veluti sedes patriarchales divisæ in archiepiscopales, hæ in episcopales, hæ in parochias. Item dogmata fidei et sacramenta.

In secunda, sunt apostoli et discipuli Christi horumque sequaces, episcopi et prælati; quos extendit Christus per orbem, cum jussit eos prædicare evangelium per universum mundum. Item fundatores ss. ordinum.

In tertia, sunt virtutes et exempla sanctorum, doctrina, libri et miracula eorumdem, in quibus edificantur et quiescant alii fideles.

IV. Quid parabola de fermento? Resp. eodem recedit cum parabola sinapis. Primo enim, fermentum significat Ecclesiæ nascentis et evangelii primordia, quæ initio tenuia, valde erant ingrata et displicentia mundo; postmodum vero in immensum creverunt, quando videlicet, parva illa Ecclesia et evangelium Christi commixta est a sapientia Dei æterna tribus farinæ satis, id est, tribus orbis terræ partibus, Asie, Africæ, Europæ (quarta enim America adhuc inognita erat) suaque commixtione immutavit et ad suos mores traxit orbem totum, ita ut panis Deo sapidus fieret qui antea fuit insipidus, ex incredulo fidelis, ex aspero misis, ex superbo humiliis, etc. quod idem facit Dei verbum absconditum in corde auditorum.

Secundo, significat apostolos, qui cum essent pauci, rudes et viles piscatores a Christo assumti et orbi terræ immissi ac quodammodo commixti, prædicationis sue acrimonia et vita austerritate, dedere saporem gentibus insipidis,